



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. 8. de Auctorit. & usu pallii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

copi debet fieri ab uno Episcopo, assistentibus duobus Episcopis, juxta formam præscriptam in Pontificali Romano, illicitè autem fieret contra formam, si assisterent non Episcopi. Licetè autem & validè fiet illa ex dispensatione Summi Pontificis, quia ad validam collationem Sacramenti sufficit unus Minister, licet ex statuto vel consuetudine, & sic ex necessitate præcepti requirantur assistentes, ut Patrini in Baptismo & Confirmatione; Presbyter in Ordinatione Presbyteri, de Arauxo de statu Eccles. c. 21. qui ibidem num. 20. ait: Quòd solus Papa habeat potestatem conferendi Characterem Episcopalem, vel ex ejus commissione alius, quia collatix istius characteris, propter sui excellentiam à solo humano Pontifice, vel ex ejus commissione fieri potest: nam sicut Ordines sacri inferiores respectivè Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus conferuntur ab Episcopo, qui est ad illos superior, ità Ordo Episcopalis, debet à Supremo Antistite supra Episcopos conferri, vel ex ejus commissione.

Non obstat contra prius, Can. porro dist. 66. ubi Jacobus Minor in Hierosolimitanum Archi-Episcopum primus ordinatus est à Petro, Jacobo & Joanne, ut ità Episcopus non minùs, quàm à tribus Episcopis ordinetur. Respondeo istis verbis hoc denotari, quòd licet Christus omnibus Apostolis immediatè potestatem Episcopalem, tam consecrationis, quàm jurisdictionis tribuerit, nihilominus tamen isti tres principatum tenentes, Jacobum uno consensu ordinârunt, hoc est, Ecclesiam illam ei specialiter regendam

designârunt, ut visibili consecratione, hoc est, externis signis & Cæremoniis potestatem utramque à Christo acceptam manifestârent, de Arauxo d. loco num. 24.

AD TIT. VIII.

De Auctoritate & Usu pallii.

AD Num. 1. in fin. adde: Forma traditionis pallii fit hoc modo: Ad honorem DEI omnipotentis & B. MARIÆ Virginis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ N. & Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ talis tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut eo utaris intra Ecclesiam tuam dictis diebus, qui exprimuntur in privilegiis concessis Ecclesiæ tuæ ab Ecclesia Romana. *Gloss. in verb. honorem. cap. 4. h. t.*

Ad Num. 2. in fin. adde: Quæres: An Patriarcha præcedat Cardinalem? Respondet ab Andler affirmat. l. 1. tit. 5 p. 1. nu. 46. per Can. penult. fin. Can. Omnes. Can. Sacramenta dist. 22. & per cap. antiqua de privil. Ubi post Apostolicam Sedem Patriarchalis dignitas proxima notatur, nullâ factâ mentione Cardinalium.

AD TIT. XI.

De Tempor. Ordin.

Vbi adde ad Num. 4. in fine: Interim observa, quòd tam Sacerdotium, quàm Episcopatus imprimant characterem, tamen non sint duo ordines, sed unus, qui dicitur extendi & perfici in Episcopatu, unde necessariò prærequiritur